

## P R A E F A T I O :

65

bum, cui erant adscripti ut Cives, sed regionem. Id verò indicat, ut ego arbitror, hasce notiones, quæ in Catalogis reperiuntur, fuisse collectas ex tabulis, & regestis conscriptis per vii. Notarios Ecclesiæ Romanae, à Clemente I. Petri discipulo, & successore assignatos totidem regionibus Ecclesiasticis Urbis, in quas contraxit xiv. ab Augusto constitutas, ad Martyrum gesta colligenda. Martyrum autem in numero sunt omnes Romani Pontifices usque ad Sylvestrum. *Hic fecit septem Regiones* (sunt verba Catalogi secundi in Clemente) & *divisit Notariis fidelibus Ecclesiæ*, qui *gesta Martyrum solliciti*, & curiosi *UNUSQUISQUE PER REGIONEM SUAM diligenter perquireret*. Mos iste ad octavum seculum perductus est; cùm infra Hadrianus I. (num. 291.) à Paulo I. fuerit constitutus *Notarius Regionarius*.

Legimus itaque in secundo Catalogo: *Cletus natione Romanus de Regione Cælio Monte, ex patre Faustino &c.* Regionis Urbanæ indicatio omittitur in Zephyrino proximo deceffore Callisti: quod scilicet Acta, quæ satis integra sub Antoninis servata fuerant, cùm illi Principes Ecclesiam mitiis haberent, adeò turbata sunt in persecutionibus Severi, & Decii; ut providentia Fabiani sub Decio passi fuerit iterato occurrentum, ne omnino interirent, & confundendum reparationi Actorum veterum, ac futurorum securitati per novam divisionem Regionum vii. in Urbe, totidem Diaconos assignatis, parique ferme numero Subdiaconorum, qui Notarios sollicitarent ad colligenda Martyrum gesta: quemadmodum uterque Catalogus testatur in Fabiano num. 21. *Hic regiones divisit Diaconibus*. Ita referit Catalogus primus. Addit secundus Catalogus: & fecit sex Subdiaconos, qui *septem Notarii imminerent*, ut *gesta Martyrum fideleriter colligerent*. Verum hæc ipsa gesta recentiora collecta post Fabianum, incendio plerumque sublata per immanem persecutionem Diocletiani, præclaris operis reliquias ad modum paucas nobis transmiserunt: quemadmodum Schelestratus adnotat ad hunc locum: *De paucis admodum Martyribus, ait, mentio fit in antiquiore Catalogo; & eorum Acta non describit, sed tantum martyrii genus verbo indicat. Unde putem, Acta Martyrum à Notariis, & Subdiaconibus primitivæ Ecclesiæ descripta, in persecutione Diocletiani cum catenis Ecclesia membranis periisse. Vel si qua integra ex incendio evanescerunt, ea ad manus nostras non devenisse; sed temporum vetustate ferme omnia consumpta esse.* Acta verò plura servata sunt Martyrum, qui præcesserant i. & ii. saeculo ætate Christianæ; cùm descripta jam forent exiguo, aut nullo periculo sub Antoninis; ita ut Hegesippus Romæ agens inde potuerit et tempestate contexere libros quinque Ecclesiastica historiæ sub Eleutherio Papa, testimoniis Hieronymo, & Eusebio, quorum ætate superstites fuisse idem Eusebius scribit lib. 4. cap. 22. Ex istud Commentariis Hegesippi, cùm iste fateatur (hist. Eccl. lib. 4. cap. 8.) se dedisse complura, quæ verissimam Apostolicæ prædicationis historiam complectebantur, & præcipue Catalogum, & successionem Pontificum Romanorum colligant in uno loco (ibi cap. 22.); arguere possumus, superfluisse Notariorum acta, exprimentia nomen, patriam, regionem, & annos illius Pontificis, qui martyrio afficiebatur: mox etiam Cypriano lib. 3. epistola 6. ad Presbyteros, & Diaconos Romanos data, ut ne omitterent configare diem obitū eorum, qui

A in carcere pro Christo decedentes erant Martyribus accenfendi.

18. Quin etiam loculus sepulchralis non raro consignabatur die, & anno depositionis indicato per Consules ordinarios: quod in privatis etiam fidelibus, nec martyrio affectis, nec sacerdotio insignitis passim occurrit, dum inspicimus cœmeteria suburbana, & titulos legimus vel in cryptis martyrum, vel in libris Romæ subterraneæ, effossas inde tabulas, & epigraphes memorantibus. Hinc Eusebius potuit Romanorum Pontificum initia, & successionis tempus finemque conferre cum annis Imperatorum (quod sèpè facit) ex indicio Consulatus, quo electus quisque fuerat ad regimen Ecclesiæ capessendum, & quo sacerdotium ac vitam expleverat. Exemplum demus in Telephoro, & Hygino. Scribit Eusebius hist. lib. 4. cap. 10. *Ceterum Hadriano vitâ perfuncto, cùm unum & viginti annos imperasset, Antoninus cognomento Pius administrationem imperii suscepit. Hujus anno primo cùm Telephorus migrasset è vita anno suscepit Episcopatus undecimo, Pontificatum Romæ Urbis fortitus est Hyginus. Historiæ Augustæ Scriptores Græci, ac Latini consignant annum emortuale Hadriani, & primum Imperantis Antonini cognomento Pii, Nigro, & Camerino Consulibus: confirmante lapide apud Gruterum fol. ccclvi. n. 4. signato in adversa parte eorundem Consulatum Collegio, ut advertit Eminentissimus Norifius epistola Consularis pag. 85. Catalogus secundus referit exordium Pontificatus Hygini ad Consules Camerinum, & Magnum (ita enim vitio amanuensium imperitorum factum est, ut *Nigrum in Magnum conversum videamus*), nempe Camerinum, & Nigrum. Licit in priori Catalogo lacuna impeditat, ne consulum nomina legi possint; suppletur hæc facilè ex precedentibus, & consequentibus, quibus tribuitur vitæ terminus decessoris, & initium Episcopatus in successore. Postremi Consules, quos idem Catalogus numerat sedis Telephori, sunt Cæsar, & Balbinus (Albinum corrupè redidit amanuensis una litera dempa) nempe L. *Elius Cæsar II. & P. Cælius Balbinus*, ita incisi in Auximati marmore apud Gruterum fol. cccxlvi. 10. posito vi. Idus Julii. Hos Consules proximè excipiunt Camerinus, & Niger in fastis Consularibus, quarto Christi saeculo descriptis (adèoque etatis ejusdem cum priori Catalogo) & à Buchero simul editis, illustratis verò à Card. Norifio in differt. post Epochas Syromacedonum. Rectè igitur ponuntur postremi Consules Telephoro assignari *Elius Cæsar II. & Balbinus*, & primi Hygino attributi Camerinus, & Niger. Rufus confirmantur ex aliis precedentibus Collegiis in utroque Catalogo recentis cum annis Pontificum, & paratis cum annis Imperatorum. Nam uterque catalogus assignat Telephoro annos Episcopatus undecim, & menses tres, ejusque proximo decessori Xysto annos decem, & menses duos vel tres: quorum sit exordium Collegium Consulatum Nigri, & Apronianum, finis verò Cois. Verus, & Ambibulus. Summa Episcopatum Xysti, & Telephori dat annos xxi., & menses circiter sex. Hadrianus in imperio exegit annos xx., & menses xi. Dion teste in ejus vita: cui nummi, & lapides suffragantur, si Norifii observationes adhibeamus Epist. Consularis pag. 85. Dio autem tradit, se accepisse ea quæ scripti ab Apronio patre suo, qui tunc Ciliciæ præterat, cum decedente Trajano in eadem provincia, Adriani adoptio,*